



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis, Et Breviarii Romani.

In quibus origo cuiusque Ritus, causae historicae, vel mysticae, ex
maiorum ingenio, Theoria, Praxis, obligatio, & exquisitus vsus, additis
opportune Decretis omnibus S. Rituum Congreg. quàm breuissimè
explicantur.

Gavanti, Bartolommeo

Venetiis, 1647

De Defectibus Ministri. 6.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9500

Notanda est hoc loco singularis doctrina *Suar. 3. part. disput. 85. sect. 1. secundo.* quod si contingat defectus essentialis in forma, vel in altera, vel in vtraque, nempe cum mutatione sensus verborum consecrationis, iteranda est consecratio, vt perficiatur sacrificium; & si contingat id cognosci post sumptionem corporis, vel speciei non rite consecratae iteranda est item talis consecratio, apposita materia quæ non fuit consecrata, *iuxta Rubric. sup. tit. 4. num. 5. & titulo 3. num. 6.* quia eadem est ratio ineptæ materiæ, & materiæ sine forma. Immo etiam, si id contingat fieri ex malitia ministri mutantis formam, vel non habentis intentionem. nihilominus debet post sumptionem sup-

plere defectum, penitendo de priori culpa quam commisit, reuerenter supplendo, vt dictum est. quod si defectus accidat in vtraque specie, & iam vtramque sumpsit, non est, quod suppleat; quicquid sacrificium nullum fuit, sed totum fictum. eo casu nullum est præceptum de faciendō vero sacrificio, neque de supplendo, quod non est incaptum, neque ex parte: & obligat tunc aliud præceptum de non sacrificando, fracto ieiunio.

Porro *S. Tho. q. 78. art. 3.* vult, excepto, enim, omnia verba formarum prædictarum esse de essentia Sacramenti. communior autem antiquorum sententia est, ea non esse. Vide *Suar. disp. 60. sect. 1.*

- 2 Si celebrans non recordetur se dixisse ea quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. a Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cetera prosequatur per ordinem. 3 Si vero valde probabiliter dubitat, se aliquid essentialē omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. 4. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.

Prima pars est *S. Thom. sup. art. 6. ad 5.* Altera pars est *eiusdem ibidem.* sed cum hic dicatur resumat ipsam formam: quid resumendum erit? Sane verba ea tantum, quæ supra nu. 1. huius tituli posita sunt, tanquam essentialia formæ, quicquid dicant *Ang. Palud. & Scotus.* ita *Suar. loco citato.* In tertia parte Rub. quæ est communis, eo modo tollitur dubium, & pe-

riculum iterandi consecrationem super materiam consecratam. Quarta pars patet, & confirmat secundam partem huius Rubric. de non resumendo, nisi essentialia formæ.

Cæterum, non est necesse in prolatione formæ, vt sonus verborum attingat Hostiam, vel Calicem. *Suar. disp. 45. sect. 5.*

De defectibus Ministri. VI.

- 1 Defectus ex parte Ministri, possunt contingere quoad ea quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt. In primis intentio, deinde Dispositio animæ, Dispositio corporalis, Dispositio vestimentorum, Dispositio in ministerio, ipso quoad ea quæ in ipso possunt occurrere.

Diuisio in has quinque species defectuum ea est, vt prima tantum dici debeat essentialis, reliquæ accidentales.

De defectu intentionis. VII.

- 1 Si quis non intendit consicere, sed delusorio aliquid agere. 2 Item si aliqua Hostia ex obliuione remaneat in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quas videt. 3 Item si quis habeat coram se vndecim Hostias, & intendat consecrare solum decem, non determinans

L. 2. quas